



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio XXIV. De Decano Rurali Parochos sui Capituli punire volente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

presentato jus reale & titulus in beneficio, ac inter corporalem, seu installationem, aut missionem in possessionem. Illa prior expressè negatur Archidiacono in c. 4. b. t. (quod perperam pro se allegavit) ubi Alexander III. rescribit, *Archidiaconum nemini sine licentia & mandato Episcopi debere curam animarum committere*, quod fit per institutionem collativam in beneficio parochiali. Posterior competit quidem Archidiacono regulariter de Jure Scripto, & quando beneficium non est litigiosum: at non de Jure Consuetudinario, vi cujus ad Episcopos, & horum Vicarios, maxime Generales id pertinet, saltem in nostra Germania, speciatim in dioecesi Chryflogoni; unde & impegit

contra *Jus Consuetudinarium*, ex quo scire debuisset, in Germania permultis dioecesibus Archidiaconatum ferè dignitatem duntaxat & quoad nomen permanfisse, jurisdictionem verò Archidiaconi (excepto fortassis aliquo certo districtu, quod ex usu dioecesis dependet) mediante praxi in Officiale seu Vicarium Generalem fuisse translata. Atque ex his sine labore deduces, quid respondendum sit ad textus, quos pro se allegavit Chryflogonus, utpote qui Archidiacono non institutionem collativam, sed tantum corporalem (quam tamen ei iterum eripuit consuetudo) tribuerunt. Nec Archidiaconus attenta consuetudine remansit Vicarius Episcopi in effectu, & in jurisdictionibus.



## TITULUS XXIV.

### De Officio Archipresbyteri.

#### DECISIO XXIV.

De Decano Rurali Parochos sui Capituli punire volente.

#### SPECIES FACTI.

Rurale Capitulum E. cum paucis abhinc annis sua consueta celebraret Comitia, durante convivio ex parochis duo post acerbiore iocos

jurgare & altercari cœperunt, jactis in se mutuo contumeliosis verbis cum magna festiva hilaritatis perturbatione, nec sine notabili presentium offensa.

Q<sup>2</sup>

Unde

Unde Decanus, qui mensæ præsidebat, ambos iussit tacere, & cum non parerent, etiam facessere ex triclinio, demum, cum his iussis insuper habitis illi, persisterent in reliquorum consortio, singulis mulctam unius aurei cassæ Capitulari inferendam dictavit. Altero die per Pedellum exigi hanc mulctam imperavit, quam tamen

illi solvere renuerunt, nuntari Decano jubentes, ipsi nullam in se competere jurisdictionem, atque officium ejus consistere in eo, ut, si quid contra se haberet, id referat ad Ordinarium suum, seu Vicarium Generalem, ab hoc se judicari debere. Unde

### QUÆSITUM EST,

An, & qualem jurisdictionem in Parochos & Sacerdotes sui Capituli habeat Archipresbyter, seu Decanus, Ruralis?

Nullam omnino ipsi tribuere videtur *c. fin. h. t.* quia dicit, hujusmodi Archipresbytero seu Decano competere quidem curam & circumspersionem in vitam presbyterorum, & qua ratione isti suum munus peragant, cuncta tamen *renuntiet & referat ad Episcopum*: ergo coercere delinquentes non est concessum Decano.

Verius tamen, & omnino tenendum est, Decanis Ruralibus competere aliquam in suos Capitulares jurisdictionem in foro etiam externo, licet minorem & quasi bassam, se non extendentem ad graviora delicta, & poenas, uti foret ferre censuras &c. Desumitur ex *text. & gl. v. Foraneo Clem. 2. de Rescr. accedit gl. in c. fin. cit. & Innoc. ibidem in f. Fagnan. in c. relatum q. n. 42. de Cler. non resid. Pith. b. n. 11.* Ratio autem est, quia sunt Vicarii Episcopi, scilicet foranei,

ad gubernandum Clerum & populum certi districtus, quæ gubernatio apte & efficaciter sine omni jurisdictione fieri non potest. Ex quo sequitur, in nostro casu præfatos duos Parochos fuisse obligatos ad parendum Decano, silentium & discessum imperanti, postmodum verò, quia ob contumaciam justè dictavit poenam pecuniariam, ad hanc persolvendam.

Ad rationem dubitandi ex *c. fin. de promptam dico*, quòd ibi non denegatur omnis Jurisdictio hujusmodi Decanis, quia ibidem vocantur Vicarii Episcopi, extra civitatem constituti, & comparantur Vicario Episcopi Civitatis, & Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ, qui utique de Jure habent jurisdictionem. Quòd tamen jubeantur *renuntiare & referre ad Episcopum*, intelligunt cum *gl. ad c. fin. cit. V. referant Doctores communiter de rebus gravioris momenti*, & ut nihil

contra Episcopi decretum vel preceptum  
cedere presumant, ut loquitur textus.  
Possunt igitur tales Decani exercere  
jurisdictionem aliquam in suos Capi-  
tulares, sed subordinatam Episcopo, &  
in rebus minoris momenti. Unde  
delinquentes arguere & reprehendere  
possunt, ac in praxi solent, quamvis  
in praxi non facile audeant ad poenas  
intelligendas procedere, etiam minores  
tantum.

Si quæras, qualis hæc sit jurisdic-  
tio Decani Rurales, Ordinaria, an  
Delegata? s. cum P. Pirhing n. 12.  
cum distinctione: vel Decanus est ele-

ctus à Capitulo, ut plerumque fit,  
& ab Episcopo postea confirmatus?  
& tunc jurisdicção ejus est Ordinaria,  
atque datur à tali Decano ad Episco-  
pum vel Vicarium Generalem appel-  
lacio. Innoc. in c. 3. n. 5. de Offic.  
Ord. Laym. de jurisdicção. Ord. concl.  
146. Vel est immediatè constitutus  
ab ipso Episcopo vel Vicario Generali  
sine electione prævia Capituli? &  
tunc jurisdicção ejus est Delegata ad  
universitatem causarum, atque ab  
Episcopo pro libitu amoveri potest ab  
officio.

# TITULUS XXV.

## De Officio Primicerii.

### DECISIO XXV.

De Cantore, & Scholastico Cathedralis Eccle-  
siæ in Germania.

#### SPECIES FACTI.

Cum in Ecclesiis Germaniæ vel  
nomen *Primicerii* ignotum, hu-  
jus tamen officium de Jure sit, ut  
pærit Diaconis & aliis Clericis quoad  
cantum & modum psallendi, ut &  
in scholis quoad docendum eosdem.  
can. 1. s. ad *Primicerium* d. 25. c. *um. b. t.*  
idcirco in Ecclesiis Germaniæ, cum  
hæc officium inter duos Canonicos  
distributum videamus, quorum unus

*Cantor*, alter autem *Scholasticus* ap-  
pellari consuevit, officium *Primice-  
rii* ad hos duos devolutum esse vide-  
tur. Quapropter, cum in multis Ger-  
maniæ Ecclesiis Cathedralibus Canto-  
rem canendi & musicæ, *Scholasticum*  
verò scientiarum quandoque minus  
peritum, nec gradu Doctorali insignem  
esse contingat, ideo

Q 3

QUÆ-